

melius potest cognoscere suorum clericorum industriam, atque idoneitatem: unde si talem agnoscit majorem in simplici clerico, nihil prohibet, quin ipsum delectet. Secus est in Papa, vel ejus legatis, utpote longe distantibus: unde fit, quod si delegent solummodo eos, quos ipsa dignitas idoneos esse loquitur, seu presumere facit, quod sicut dignitate, ita et moribus, ac scientia cæteros antecellat: quanquam hodie pro majori cautela quædam tales personæ in synodo provinciali, aut diocesana designari jubeantur a concilio Tridentino, sess. 25, cap. x, de Reform.; Vallensis, h. t. § 3, n. 3 et 4, citans alios. Accedit, quod dignitas in delegato Papæ, aut legati ejus, videatur requiri ob favorem, ac majorem reverentiam sanctæ Sedis Apostolicæ, ne alioquin vilipendatur in suo ignobili ministro. Glossa in cit. c. Statutum, §. Committantur, de Rescript. in 6.

## § IV.

## DE CAUSIS DELEGABILIBUS.

74. *Generatim omnes causæ possunt delegari, quæ ad jurisdictionem delegantis pertinent.* — Queritur I. Quæ causæ, seu negotia possint delegari. Resp. I. Generatim loquendo possunt delegari omnes causæ, atque negotia illa, quæ ad jurisdictionem delegantis pertinent: nisi quid specialiter sit exceptum, aut speciale qualitatem, vel industriam ipsius delegantis requirat. Ita in re communis. Et quidem prima pars habetur L. un. c. Qui pro sua jurisdic. ubi generaliter dicitur ea posse delegari, quæ « ad jurisdictionem pertinent delegantis: » videlicet ordinariam, non delegatam, nisi sit a principe delegatus, ut explicat Glossa, ibidem. Concordat textus in L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisd. ibi: « Quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt. »

75. *Nisi specialiter sint exceptæ, aut in eis sit electa industria personæ.* — Altera vero pars desumitur ex c. Si pro debilitate 3, h. t. ubi delegatus Papæ non potest subdelegare causas, quæ ita sunt graves, ut sine ipso commode terminari nequeant. Concordat c. Pastoralis, 28, h. t. ubi delegato principis dicitur concessa a jure facultas dandi iudicem, sive subdelegatum, sed cum hac limitatione: « Dummodo ipse exonerare seipsum malitiose non quærat, » estque jam

dictum paulo superius n. 60, et 61. Id ipsum liquet ex cap. ult. § Is autem, h. t. ubi plures exprimuntur casus, in quibus censetur electa fides, et industria personæ, sicque non possunt per delegatum Papæ alteri subdelegari: ut si cupiam Pontifex committat inquisitionem, vel provisionem de prælatis, aut aliis ministris alicui Ecclesiæ personaliter faciendam, et hujusmodi. Huc pariter facit textus in L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata, etc., ubi causæ meri et mixti imperii prohibentur delegari, nisi in casu absentia. Verum de hoc proxime plura.

76. *Delegatus Papæ potest et totam causam, et partem ejus subdelegare.* — Resp. II. Delegatus principis, ut puta Papæ, non solum potest totam causam subdelegare, aliique decidendam committere, sed etiam partem ejus. Textus est in c. Super questionum, 27, § 1 et 2, h. t. ubi delegatus Papæ, ut parcat laboribus partium atque expensis, permittitur imprimis, aliis, vel aliis idoneis personis ecclesiasticis cognitionem causæ, ac testium examinationem committere, seu subdelegare, reservata sibi sententia. Deinde etiam, ut judicialis sententia liberius valeat exerceri, permittitur eidem, et principium, et finem, et medium causæ sibi commissæ, non solum conjunctim, sed etiam divisim, libere alii delegare. Concordat c. Pastoralis, 28, § Item cum, h. t. ubi delegatus Papæ potest et totum negotium alii committere, et partem, videlicet citationis officium. Item c. Juxta, 5, h. t. in 6, ubi hoc ipsum delegato Apostolico permissum esse legitur, cum similibus.

77. *Notabilis differentia inter hunc duplicem subdelegandi modum.* — Est tamen notabilis differentia inter hunc duplicem subdelegandi modum. Nam si delegatus Papæ subdelegat, atque committit alteri totam illam causam particularem, ad quam fuerat delegatus, et subdelegatus jurisdictione sua uti cœperit, saltem citando partes, illico delegatus ille desinit esse iudex in ea causa. Abbas c. Super questionum, § Porro, num. 1, h. t., eo quod jam functus sit officio suo, totam videlicet jurisdictionem suam respectu talis causæ transferendo in alium, seu in subdelegatum, c. Venerabili, 37, h. t. juncta Glossa, ibid. §. Vices suas: simulque dicta jurisdictio in subdelegatum efficaciter jam transierit, c. Quamvis, h. t. in 6, argumento a sensu contrario desumpto. Securum est, quando delegatus Papæ subdelegat so-

lolummodo partem causæ, seu aliquid de jurisdictione sibi reservat, arg. cit. c. Super questionum, § Porro, h. t. atque amplius patebit ex aliis differentiis hinc resultantibus, de quibus dicitur infra num. 139 et 140, ac n. 159 et 163.

78. *Principes supremi possunt delegare causas meri et mixti imperii.* — Queritur II. Utrum causæ meri et mixti imperii possint delegari? Hæc questio non procedit de supremis principibus (de his enim certum est, quod sive jure communi, sive speciali privilegio eisdem competente, possint aliis committere causas meri et mixti imperii; ut L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata, etc.) sed solummodo de inferioribus magistratibus, seu iudicibus, ordinariam jurisdictionem, ac merum mixtumque imperium habentibus. Quo prænotato,

79. *Non item iudices inferiores, spectato jure civili. Quamvis hoc ipsum ex consuetudine non observetur.* — Resp. I. Spectato rigore juris civilis nequeunt causæ meri ac mixti imperii, per iudices ordinarios principis inferiores aliis delegari; nisi in casu absentia, infirmitatis, alteriusve justi impedimenti. Ita communis; et patet ex cit. L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata, etc. ibi: « Quæcumque specialiter lege, vel senatus consulto, vel constitutione principum tribuantur, mandata jurisdictione non tribuantur, » etc. Ubi Glossa, §. Quæcumque, sub istis comprehendit inquit ea, quæ spectant ad merum imperium, vel mixtum: quia in istis (extra casum absentia, qui in cit. L. 1, postmodum expresse excipitur, vel alterius consimilis justi impedimenti) censetur electa industria personæ, seu iudicium ordinarium; ut inquit Julius Clarus in Pract. criminali, lib. V, § fin. quæst. 44, n. 1, allegans communem: quamvis addat, quod istud hodie non servetur, sed ex generali consuetudine indistincte omnes causæ meri et mixti imperii delegentur, etiam quoad ultimum supplicium. Utrum autem hoc ipsum procedat spectato jure canonico, adeo ut similiter de rigore hujus juris nequeant delegari causæ meri, vel mixti imperii, questio remanet: unde,

80. *Secundum canones possunt ab episcopis omnes causæ, etiam mixti, ac meri imperii delegari.* — Resp. II. Probabilis est, quod secundum canones possint omnes causæ ab episcopis, aliisque prælatis ordinariam jurisdictionem habentibus delegari, etiamsi sint

mixti, vel meri imperii. Ita Glossa in c. Quod sedem, §. Committere, et Abbas ibid. n. 4; Alexander, consil. 106, n. 21, lib. II; Maranta, part. IV, Speculi aurei, dist. 5, n. 67; Vallensis, h. t. § 2, et communior aliorum; contra Covarruviam, lib. III, Var. resolut. cap. xx, n. 4; Fachineum, lib. IX, Controv. jur. cap. xcix; Menochium, et nonnullos alios, quos sequitur Pirhing h. t. num. 52.

81. *Idque probatur multipliciter.* — Ratio conclusionis desumitur ex can. Illud, 23, q. 4, et cap. ult. Ne clerici vel monachi, etc., ubi expresse deciditur episcopos posse delegare causam sanguinis, quæ procul dubio ad merum imperium pertinet. Verum, quia facile responderi posset hoc esse speciale, eo quod episcopis, aliisque clericis causam sanguinis per se agitare non liceat absque incursione irregularitatis, de qua ibidem fit mentio;

82. *Id probatur multipliciter.* — Confirmatur conclusio ex c. Cum episcopus, 7, de Officio ordinarii, in 6, ubi episcopus in quolibet loco suæ diocesis non exempto, per se, vel per alium, potest pro tribunali sedere, clericos criminosos « capere, ac carceri deputare, nec non et cætera, quæ ad ipsius spectant officium, libere exercere. » Atqui ad officium episcopi spectant etiam ea, quæ sunt mixti, vel meri imperii; ergo etiam hæc non solum per se, sed et per alium, libere potest exercere, et consequenter hujusmodi causas alteri delegare. Concordat c. Licet, 2, de Offic. vicarii, in 6, ubi episcopus, si vult, potest vicario suo specialiter committere causas ecclesiasticas mixti, ac meri imperii. Item Clem. 1, § Propter quod, de Hæretic. ubi similis concessio juris habetur circa inquisitionem, et punitionem hæreticorum. Item cap. ult. de Offic. ordinarii, ubi illis, quibus ex officio conceditur in certis casibus absolvere ab excommunicatione ob persecutionem clerici contracta, generatim conceditur hujusmodi absolutionem aliis committere, cum viderint expedire.

83. *Et solvitur instantia.* — Nec dicas tales canones loqui solum in casibus specialibus; ut puta hæresis ob gravitatem atque perniciem hujus criminis, et absolutionem ab excommunicatione ob favorem animæ, et hujusmodi: ac proinde hinc non esse inferendam generalem differentiam inter canones, et leges, contra cap. I et II, de Novi oper. nuntiat. Nam contra est; tum quia

cæteri allegati canones, ac præsertim cit. c. *Cum episcopus*, et d. c. *Licet*, loquuntur generaliter, et non in casibus specialibus; tum quia non est necesse, ut de omnibus casibus singillatim disponatur per canones, sed ex iis, quæ disposita sunt, licitum est procedere ad similia, l. *Non possunt*, ff. de *Legibus*.

84. *Etiam illæ possunt delegari, quæ pertinent ad potestatem ordinis, dummodo alter habeat ordinem competentem.* — Quæritur III. An etiam ea, quæ sunt potestatis ordinis, delegari valeant? Resp. I. Non solum ea, quæ sunt jurisdictionis, possunt delegari, ut hactenus dictum; sed etiam illa, quæ pertinent ad potestatem ordinis, dummodo is, cui fit delegatio, habeat ordinem competentem. Ita Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 6, § *Delegantur aliquando*, et alii communiter. Ratio est: quia ubi alter, cui fit delegatio, jam habet ordinem competentem, potius fit delegatio exercitii ordinis, concedendo ipsi liberam facultatem exercendi actum ordinis in tali loco: non autem delegatur ipsa potestas ordinis.

85. *Idem declaratur exemplis.* — Idem desumitur ex c. *Aqua*, 9, de *Consecrat. Eccles.* ubi Ecclesia polluta potest quidem reconciliari per alium episcopum ex commissione proprii episcopi, non item per simplicem sacerdotem: ex quo exemplo præsentem conclusionem amplius declarat Glossa, ibid. § *Jurisdictionis*, et Abbas ibi n. 7, ac Fagnanus, n. 4. Similiter parochus non potest alteri delegare potestatem audiendi confessiones suorum parochianorum, nisi sacerdoti cæteroquin idoneo. Insuper ea, quæ sunt ordinis episcopalis, possunt quidem delegari, seu exercenda committi alteri episcopo, ut cap. 1, de *Ordinatis ab episcopo, qui renunt.* non tamen simplici sacerdoti: nam potestas ordinis non transfertur sola voluntate ac verbo committentis, neque per nudam ejus commissionem, sed per manus impositionem, cap. un. de *Sacra unction.* et cap. ult. de *Sacrament. non iterand.*

86. *Papa non potest delegare diacono potestatem consecrandi corpus Christi; bene tamen simplici sacerdoti potestatem conferendi certos ordines, confirmandi, reconciliandi Ecclesias, etc.* — Et hoc adeo verum est, ut etiam Papa non possit delegare seu committere diacono, sive non sacerdoti, potestatem consecrandi Corpus et Sanguinem Christi: quia hæc potestas ex Christi institutione, ac jure

divino, prærequirit ordinem sacerdotalem: idemque dicendum de similibus. Potest nihilominus Papa committere simplici sacerdoti potestatem conferendi ordines minores, cap. 1, de *Supplend. neglig. prælat.* et c. *Cum contingat*, 11, de *Ætate et qualit. præficiend.* Imo et subdiaconatum et diaconatum, juxta probabiliorem sententiam, estque jam dictum supra tit. 13, de *Ordinandis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatu*, n. 13 et 17, ac seqq. Item potestatem confirmandi, can. *Pervenit*, dist. 95. Et potestatem reconciliandi Ecclesias, arg. c. *Aqua*, de *Consecrat. Eccles.* et hujusmodi.

87. *Abbas benedictus potest conferre ordines minores subditis episcopi de hujus licentia.* — Quinimo abbas benedictus sicque ex privilegio Pontificis habens potestatem conferendi propriis subditis regularibus ordines minores, si fuerit invitatus ab episcopo, potest etiam de facto hos conferre subditis alterius monasterii, vel dicti episcopi. Fagnanus, in c. *Aqua*, n. 15 et seqq., de *Consecr. Eccles.*, solvens notabilem instantiam ex decisione Rotæ circa hoc.

88. *Episcopi, alique Papa inferiores, non possunt laico delegare causam spiritualem. Nec causam criminalem clericorum.* — Quæritur IV. Utrum laico possint delegari causæ ecclesiasticæ, vel criminales, aut saltem civiles clericorum? Resp. I. Episcopi, alique prælati Papa inferiores, non possunt laico delegare causam aliquam spiritualem, vel criminalem clericorum; ac probabilius nec etiam causam horum civilem, seu temporalem judicialiter cognoscendam. Prima pars, loquens de causa spirituali, seu mere ecclesiastica, est communis; cum laici ecclesiastica tractare negotia non possint, sed hæc episcoporum, aliorumque prælatorum judicio sint discutienda, c. *Decernimus*, juncta Glossa, et doctores ibid. de *Judiciis*, et c. *Cum laicis, de Rebus Eccles. non alienand.*, cum concordantiis.

Alter pars est rursus communis, ut inquit Julius Clarus in *Practica criminali*, lib. V, § fin., quæst. 41, n. 5, et card. Puschus, litt. C. conclus. 146, num. 13, qui hoc extendunt etiam ad eum casum, quo episcopus causam criminalem clerici vult delegare laico simul cum alio clerico, vel cuiusdam clerico conjugato. Talis enim clericus reputatur tanquam merus laicus, demptis casibus, qui in cap. un., de *Cleric. conjugat.*, in 6, continentur; ubi et fundamentum hujus partis conclusio-

nis habetur, junctis illis, quæ proxime dicuntur de causa civili, atque a fortiori urgent in criminali clericorum.

89. *Et probabilius nec causam horum civilem, seu temporalem.* — Tertia vero pars, negans posse ab episcopo causam clericorum temporalem laico delegari, est quidem contra Glossam, in cit. c. *Decernimus*, § *Non præsumant*, et Abbatem ibid., n. 5, de *Judiciis*, ac plures alios: eam nihilominus tenet Baldus, in d. c. *Decernimus*, n. 4. Additio ad Abbatem, ubi supra § *Delegare*, an nonnulli alii. Ratio est: quia in clerico, seu persona ecclesiastica, semper est quid spirituale; ergo ne quidem ex delegatione episcopi potest trahi ut reus ad tribunal laici: haud obstante, quod causa non sit spiritualis, sed mere civilis, ut puta pecuniaria. Probatur consequentia: tum quia laicus nullatenus potest spiritualia negotia tractare, per jura proxime allegata; sicque nec judicare de obligatione pecuniaria personæ ecclesiasticæ; tum quia privilegium fori est concessum in favore totius ordinis clericali; ergo, sicuti non est in potestate clerici, huic renuntiare, ita non debet esse in potestate singulorum episcoporum eidem præjudicare per delegationem causæ in judicem laicum; ut c. *Si diligenti*, 12, de *Foro compet.* Alioquin enim vel episcopus dispensaret in jure communi, concedente clericis, eorumque bonis, privilegium fori: vel, quod una via laicis negatur, id per aliam eisdem concederetur, contra cit. cap. un. de *Clericis conjugat.*, in 6, et contra reg. 84 juris in 6, ibi: « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. » Atque hinc in simili nequit clericus consentire in judicem non suum, etiam accedente episcopi sui voluntate, nisi sit persona ecclesiastica, c. *Significasti*, 18, de *Foro competent.*

90. *Solvitur instantia contra hoc ultimum.* — Dices. In c. *Decernimus*, 2, de *Judiciis*, solummodo statuitur, « ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant; » ergo non ecclesiastica possunt, præsertim ex delegatione episcopi, cum sic istud nequaquam præsumant. Accedit can. *Clericum*, 11, q. 1, ubi prohibetur quicumque clericus absque pontificis sui permissu ad sæcularem judicem atrahi; sicque, argumento a sensu contrario desumpto, accedente episcopi permissu id videtur permissum. Resp. neg. consequent. Nam argumentum a sensu contrario non valet, quando exinde sequitur absurdum, aut

jurium correctio; prout dictum est, tit. de *Constitutionibus*, § 16, n. 407 et 408. Taliis autem jurium correctio sequeretur in proposito, si argumentum procederet, ut patet ex proxime dictis. Quinimo sequeretur etiam illud gravissimum absurdum, quod ex permissu, ac delegatione episcopi, possit judex sæcularis non solum causas civiles, sed etiam criminales clericorum, imo et mere ecclesiasticas cognoscere: nam accedente episcopi permissu, cessat memorata præsumptio ex parte laicorum, simulque canon allegatus prohibet solum absque permissu proprii episcopi clericum pertrahi ad judicem laicum.

91. *Alia notabilis instantia dissolvitur.* — Urgebis. Judex delegatus quasi proprium nihil habet, sed utitur potestate, ac jurisdictione delegantis, l. 1, § *Qui mandatum*, ff. de *Offic. ejus, cui mandata est jurisdict.* Ergo nihil impedit, quominus ex commissione episcopi possit laicus causam mere civilem clericorum judicialiter cognoscere: tunc enim non tam is, qui jurisdictionem exercet sicut delegatus, quam ille, qui committit eam exercendam, puta episcopus, jus dicere censetur. Resp. I. Instantiam istam nimium probare, ac proinde hoc ipso esse inefficacem: alioquin enim, si quid probaret, pariter sequeretur ex commissione episcopi posse laicum agere judicem in causa criminali clericorum; cum etiam hic non tam laicus, quam episcopus ipsum delegans, jus dicere censeretur. Resp. II. Antecedens, atque textum in cit. l. 1, § *Qui mandatum*, ff. de *Offic. ejus, cui, etc.*, cum similibus, solum velle, quod judex delegatus non habeat jurisdictionem jure proprio, sed dumtaxat jure ac beneficio alterius: non autem, quod nullam penitus habeat jurisdictionem. Nam ut in cit. § *Qui mandatum*, post præmissam aliorum opinionem, subjungitur: « Verius est more majorum jurisdictionem transferri, » scilicet delegatam in delegatum: ut loquitur Glossa, ibid. § *Jurisdictionem*, ac tenet Bartolus, in cit. § *Qui mandatum*. Concordant dicta superius, § 2, num. 42.

92. *Papa potest ejusmodi causas delegare laico, v. g. cuiusdam regi.* — Resp. II. Nihilominus Papa potest non solum causas civiles, et criminales clericorum, sed etiam quasdam alias ecclesiasticas delegare, atque judicandas et terminandas committere cuiusdam laico, v. g. Regi. Ita notat, et multipliciter probat Glossa, in cit. c. *Decernimus*, et Abbas, ibid., n. 4, de *Judiciis*; atque alia Glossa, in

zan. *Bene quidem*, §. *Præter Romanum*, dist. 96, quam totus mundus sequitur, ut inquit Julius Clarus, cit. § fin., quæst. 41, n. 8. Idque specialiter concedendum est Summo Pontifici, propter plenitudinem suæ potestatis, quam habet non solum in ordine ad causas clericorum, aliasque ecclesiasticas, sed etiam in ordine ad dispensandum de jure supra jus ipsum; ut c. *Proposuit, de Coactione præbend.* Atque hoc ipsum olim factum esse, legitur in can. *Hadrianus*, et can. *In synodo*, dist. 63, et can. *Illud*, 40, q. 3. Qua ratione defenduntur nonnullis privilegia Regis Francorum pro conferendis beneficiis regni sui, et privilegium reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus casibus contra clericos, apud Jacobum Pignatellum, tom. II, *Consulat*, 46, n. 7, si tamen hæc privilegia revera existant, et non revocentur quotannis per bullam *Cæne Domini*, de quo alii.

93. *Non tamen tollere clericorum exemptionem in totum.* — Cæterum, licet Summus Pontifex possit privilegium fori quoad quosdam clericos, et quoad quasdam causas eorum derogare, harum cognitionem laico judici ex rationabili causa delegando: non tamen potest tollere clericorum exemptionem in totum, seu quoad omnes clericos, omnesque causas ipsorum. Farinacius, lib. I, *Criminalium*, quæst. 1, n. 4; Julius Clarus, cit. lib. V, § fin., quæst. 41, n. 8, allegans communem. Nam ex tali derogatione, seu immutatione, decoloraretur universalis status Ecclesiæ, contra quem nequit Papa dispensare, arg. can. *Et si illa*, 1, q. 7, ac tenet Glossa, in *Proposuit*, §. *Dispensare, de Concess. præbend.*, et Abbas, ibid., n. 14, inde concludens, quod Papa non possit sine causa dare potestatem alicui principi sæculari, ut possit judicare inter clericos. Et hoc eo magis est dicendum, quia juxta communem, et probabiliorum canonistarum, exemptio clericorum est de jure divino; prout ex professo dicetur, lib. II, tit. *de Foro competenti*, § 9, n. 201 et seqq.

## § V.

DE OFFICIO ET POTESTATE DELEGATI, SEU PLURIUM DELEGATORUM.

94. *Officium, et potestas judicis differunt; et quomodo?* — Quæritur I. Quæ pertineant ad officium judicis delegati? Ubi prænotandum cum Vallensi, h. t., § 4, n. 1; Zoesio,

eod. n. 20, et aliis, quod *Officium*, et *Potestas* judicis differant, quia potestas latius patet: omne enim, quod est officii judicis, etiam ejus potestati subjicitur; non tamen e contra, quidquid potestati judicis permittitur, id etiam ejus officio, jurisque necessitati subjectum esse intelligitur, l. *Non quidquid*, ff. *De Judiciis*. Imo sæpe expedit omittere illud, quod quis facere potest: ac proinde potestas, seu jurisdictio judicis latius se extendit, quam ejus officium et obligatio; sicque non immerito rubrica præsentis tituli ad comprehendendum utrumque membrum, inscribitur copulative, *de Officio et potestate judicis delegati*. His prænotatis,

95. *Judex delegatus non debet procedere ante factam sibi præsentationem litterarum delegatarum.* — Resp. I. Ad officium judicis delegati cum primis pertinet, ut is non procedat ante factam sibi præsentationem litterarum delegatarum; haud obstante, quod aliunde sciat se constitutum esse judicem delegatum. Ratio est: quia, licet probabilis sit, quod transferatur jurisdictio quoad habitum in delegatum a tempore datæ, nihilominus quoad exercitium ejus requiritur præsentatio litterarum sibi facta; ac proinde ante harum præsentationem, et receptionem, non potest delegatus exercere jurisdictionem, arg. c. *Super eo*, 12, *de Appellat.*, ibi: « Cum judices contigerit litteras recepisse » ac notat Barbosa, ibid., n. 4; Felinus, in c. *Suscitatus*, n. 42, *de Rescript.*; Nicol. Garcias, *de Benefic.*, part. V, cap. 1, n. 349, et part. VI, cap. II, n. 8, citans Rotam, decis. 43, *de Præbend. in novis*, et alios.

96. *An validetur processus antea factus, si postea superveniant illæ litteræ?* — Et hoc adeo verum est, ut licet postea superveniant litteræ delegatoræ, non validetur processus antea factus: censetur enim factus a non habente exercitium jurisdictionis. Intellige, dummodo pars adversa opponat, seu excipiat, de litteris illis non præsentatis: secus, si non excipiat, sicque tacendo consentiat; quia tunc valebit processus. Maranta, part. IV, *Speculi*, dist. 46, n. 8, citans Angelum, in l. *Cum furiosus*, ff. *de Judic.*, et Baldum, l. *Nec quidquam*, § *Ubi decretum*, ff. *de Offic. proconsul.*; Vallensis, h. t., § 4, n. 2.

97. *Delegatus præsertim Papæ debet coram ordinario litteras suæ delegationis præsentare.* — Resp. II. Insuper ad delegatum, præsertim Papæ, ejusque officium pertinet, ut antequam jurisdictionem exerceat, litteras suæ

delegationis coram ordinario repræsentet, earumque copiam faciat partibus coram se litigaturis, seu comparituris. Ita Fagnanus, c. *Cum in jure*, num. 7, ac seqq., h. t., et alii. Ratio est: quia non creditur quis delegatus, nisi delegationem probet, d. c. *Cum in jure*, 31, h. t. Nam delegatio est quid facti; facta autem regulariter non præsumuntur, arg. l. *Asseveratio*, C. *De non numerat. pecun.*, cum concordantiis. Simulque probatio asserentis se esse delegatum a principe, ut puta Papa, aliter fieri non potest, nisi per ostensas litteras suæ delegationis, L. un. C. *de Mandatis princip.*, et Extravag., *Injunctæ*, § *Sane de Elect.*, ibi: « Asserentis namque cum mandatis principis se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit: nec similiter creditur asserenti se legatum, » etc. Speculator, tit. *De Probatione*, ult., numer. 1, vers. *Sed numquid delegatus*, citans alios.

98. *Potestque ordinarius eas ex officio petere; et alioquin delegato impune resistere.* — Quinimo ordinarius loci potest ex officio suo petere, ut sibi exhibeatur rescriptum delegationis, etiam parte non petente. Innocentius in cit. c. *Cum in jure*, num. 1, h. t. Simulque delegato, volenti jurisdictionem exercere non ostensis litteris delegationis, potest ordinarius de facto, et quasi vim vi repellendo, impune resistere: nam ordinarius intra suum territorium est in possessione suæ jurisdictionis; adeoque hanc defendere potest, donec delegatus exhibitis litteris suam delegationem probaverit, arg. l. *Prohibitum*, C. *de Jure fisci*, lib. X, et Auth. *de Collatorib.* § *Eos autem*, collat. 9. Insuper gesta per delegatum non ostensis litteris suæ commissionis sunt nulla, vel ipso jure, vel saltem ope exceptionis; prout amplius ostendit Fagnanus cit. c. *Cum in jure*, n. 29, 31 et 32, post Innocentium, et alios.

99. *Delegatio an solum probari possit per litteras? Eadem vim obtinet depositio testium, ac fides instrumentorum.* — Additur notanter n. 79: « Ad delegatum, præsertim Papæ. » Quia licet delegatio Papæ, ac Imperatoris, aliter probari non possit, nisi per scripturam, ut dictum; nihilominus delegatus inferioris delegationem suam sufficienter probat per testes. Siquidem, cum de hoc aliud in jure statutum non reperitur, respectu ipsius locum habet dispositio juris communis, in c. *Cum Joannes*, § *Porro de fide instrument.* et l. *In exercendis*. C. eod. ubi eandem vim

probandi obtinent depositiones testium, quam fides instrumentorum. Speculator tit. *De probationibus*, § ult. n. 4; Fagnanus, cit. c. *Cum in jure*, n. 33 h. t. post Rotam, decis. 307, alias. 5. *Si episcopus*, n. 3. *de Offic. vicarii, in novis*, et alios.

100. *Delegatus formam mandati diligenter observare debet.* — Resp. III. Ulterius ad officium delegati pertinet lines mandati, seu formam rescripti delegationis diligenter observare, ac juxta ipsam procedere. Nam qui excessit, aliud quid facere videtur, l. *Diligenter*, ff. *Mandati*, sicque actus est nullus, si forma mandati quoad aliquod substantiale non observetur; ut c. *Cum dilecta*, 22, *de Rescriptis*, estque uberius dictum supra tit. *de Rescriptis*, § 6, n. 144 et seqq.

101. *Atque probationes necessarias, legitimasque defensiones admittere, etc.* — Resp. IV. Rursus ad officium delegati spectat, probationes necessarias, legitimasque defensiones, ut puta rationabiles exceptiones, vel appellationem rite factam admittere, atque in causa juxta juris præscriptum servata æquitate procedere; nisi in litteris delegationis aliud quid exprimat. Patet hoc ex c. *Omnes et seqq.* 2, q. 6, et c. *Causam quæ*, 18, *de Rescript.* et c. *Ex parte*, 43, h. t. et Clem. *Sæpe contingit, de Verb. signif.* cum similibus.

102. *Et, si est delegatus Papæ, sententiam suam exequi.* — Resp. V. Tandem ad officium delegati Apostolici spectat, ut sententiam a se latam executioni mandet. c. *Significasti*, h. t. cum concordantiis illico afferendis. Occasione cujus

103. *Delegatus Papæ potest sententiam exequi, vel per se, vel per alium, et usque ad annum.* — Quæritur II. Qua ratione delegatus Papæ possit suam sententiam exequi, vel alteri ejus executionem committere? Resp. I. Delegatus Papæ potest sententiam a se latam exequi, vel per se ipsum, vel per alium; ut c. *In litteris*, 9, eod. Atque usque ad integrum annum potest exercere jurisdictionem suam in ordine ad exequendam sententiam; ita ut interim parere volentes possit absolvere, et contradictores censuris etiam ecclesiasticis compescere, c. *Quærenti*, 26, juncta Glossa §. *Ad integrum annum*, h. t. Non item post elapsam annum continuum: quia tunc jam expiravit ejus jurisdictionis, sicque recurrendum est ad delegantem. Abbas in cit. c. *Quærenti*, n. 3 et 7.

104. *Judex ordinarius tenetur sententiam*